



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 88. Congregationes Romæ a Papa, aut emendatæ, aut stabilitæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

tuensis Episcopus. IV. Antonius Ma- Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.  
ria Gallus patria Pisanus, Perusinus  
Antistes, postea Auximanus Episco-  
pus, ac denique Presbyter Cardinalis  
tit. sanctæ Agnetis, & paulo post sanctæ  
Praxedis, Ostiensis Episcopus, sacri-  
que Collegii Decanus. V. Constanti-  
nus Buccofocius Sarni in Piceno na-  
tus ex ordine Fratrum Minorum Con-  
ventualium Theologus, Presbyter Car-  
dinalis tit. S. Vitalis, Vercellensis Epi-  
scopus. VI. Hieronymus Matthæi Ro-  
manus, Cardinalis Diaconus titulo  
sancti Adriani, dein Presbyter tit. sancti  
Pancratii. VII. Benedictus Justinian-  
nus Genuensis, Cardinalis Diaconus  
tit. sancti Georgii in Valabro, postea  
Episcopus Portuensis. VIII. Ascanius  
Columna Romanus, Cardinalis tit.  
sanctæ Mariæ in Cosmedin, postea sancti  
Nicolai in carcere, ac demum Pres-  
byter titulo sanctæ Pudentianæ, &  
sanctæ Crucis in Jerusalem.

### §. LXXXVIII.

#### *Congregationes Romæ a Papa aut emendatae, aut stabilitæ.*

Idem quoque Pontifex hoc anno quæ-  
dam edidit diplomata, quibus Car- *Onuphr. in  
vit. Sixti V.  
Joan. Bapt.  
Luc. Card.  
relat. Curia  
Rom.  
præ-*  
dinalium Congregationes a suis Præde-  
cessoribus Romæ jamjam stabilitas aut immutabat;

**Sæcul. XVI** præprimis vero sancti Officii Congregationem a Paulo IV. institutam, ac postea a Pio V. reformatam ad ordinem longe meliorem redigebat, præcipiens, ut bis per septimanam, & quidem feria quarta in Conventu sanctæ Mariæ supra Minervam, & feria quinta præsente ipsomet Papa confessus haberetur, eaque Congregatio saltem ex duodecim Cardinalibus a Papa selectis, necnon ex quamplurimis variorum ordinum Theologis constaret, ibidemque caussæ ob hæresin fuscitatæ agitarentur: insuper Congregationem pro exequendis Tridentinæ Synodi decretis constitutam innovavit, novamque pro politico Ecclesiæ regimine erexit, quæ ex omnibus, qui olim summi Pontificis Nuntii erant, Cardinalibus, necnon ex Pontificio secretioris Senatus Ministro conflata esset: præterea ipsa etiam sacra rituum Congregatio huic Pontifici sua incunabula quodammodo in acceptis referre tenetur, eidemque incumbit, ut de difficultatibus, quæ circa ritus, consuetudines, loci prærogativas, & sanctorum Canonisationes emergunt, suum judicium proferat: hujus vero Curiæ præcipuum Caput est Cardinalis ætate antiquior, qui eandem semel in Mensè convocat. Sub idem ferme tempus Sixtus V. quasdam alias instituit Con-

grega-

gregations, quibus aquarum, pon-  
tium, platearum, & fontium cura erat  
demandata. Denique ab eodem Pon-  
tifice erigebatur. I. Congregatio *In-*  
*dicis*, ubi libri typis edendi examinan-  
tur, ac censura notantur. II. Congre-  
gatio, quæ vocatur *Consultativa*, pro  
facræ Romanæ Ecclesiæ regimine, cui  
Cardinalis Nepos præest. III. Con-  
gregatio pro oneribus, & bono regi-  
mine, ubi querelæ, & vexationes sub-  
ditorum exaudiuntur, atque usque ad  
ulteriorem rei decisionem caussæ discu-  
tiuntur: hæc tamen Curia sub Sixti V.  
Pontificatu ad novam normam redi-  
gebatur.

Præterea Congregatio de re mone-  
taria hujus Pontificis sollicitudini suam  
originem debet, cui etiam jurisdi-  
ctionem in Ecclesiastice ditionis  
nummos cudendos attribuit: denique  
de rebus in sacro Purpuratorum Se-  
natū agitandis novam erexit Congre-  
gationem, quam fane summopere con-  
spicuam jam dudum ante suam elec-  
tionem instituere decreverat, simulque  
hujus Tribunalis Præsidem nominabat  
sacri Collegii Decanum, ea ratione,  
ut ibidem de omnibus ageretur ne-  
gotiis, quæ summus Pontifex ad hujus  
congregationis cognitionem esse devol-  
venda judicaverit, præcipue vero ibi-  
dem

**Sæcul. XVI  
A. C. 1586.**

dem agitur de Episcopatum cessionibus, exactiōibus ex redditibus Ecclesiasticis, aliisque ejusdem generis rebus: porro Præses hanc Curiam ad suum convocat Palatium, quando aliqua cauſa ad hos Judices rejicitur. Ceterum Cardinales Nepotes, qui hodiendum rerum summa potiuntur, ex hisce cauſis nonniſi admodum paucas ad hoc tribunal devolvunt.

### §. LXXXIX.

*Michael a Turre Valsafina mortuus.*

*Ciac. vit.*

*Pon. tom. 4.*

*pag. 76.*

*Gabut. vit.*

*Pii V.*

*Ughel. Ital.*

*Sacra.*

Hoc etiam anno sacrum Purpuratum Collegium quinque de suis Sociis mortuos plangebat, quos inter primus erat Michael de Turre Vallis. Assinæ, seu Valsafinus Comes Utinæ in Foro- Julio ex illustrissima Valsafinorum Comitum familia natus, Parentesque habuit Ludovicum de Turre Comitem, & Thaddæam Strasoldiam porro Michael utriusque Signaturæ, ut vocant, Referendarius, perpetuusque Cenetensis Ecclesiæ in Venetæ Reipublicæ imperio Administrator nominabatur, demum vero hujus Sedis Episcopus electus, a Paulo III. Nuntius in Franciam ad Henricum II. decernebatur, qua etiam legatione sub Julio III. fungebatur: inde autem redux Umbriæ Præfectus evasit, ac sub Pio